

Zeitschrift: Divus Thomas
Band: 3 (1925)

Artikel: Proponitur nova solutio ad conciliandam causalitatem physicam sacramentorum cum eorum reviviscentia
Autor: Marin-Sola, Franciscus
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762613>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 08.02.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Proponitur nova solutio ad conciliandam causalitatem physicam sacramentorum cum eorum reviviscentia

Per P. Mag. Franciscum MARÍN-SOLA O. P.,
Professorem in Universitate Friburgensi.

Ut ipse titulus huius articuli satis indicat, non intendimus directe tractare de causalitate physica sacramentorum neque de eorum reviviscentia, sed tantum novam solutionem proponere pro concordia utriusque doctrinae.

Plerique enim illorum theologorum qui extra scholam D. Thomae versantur, exhibent doctrinam thomisticam circa causalitatem instrumentalem *physicam* respectu gratiae ut omnino inconciliabilem cum doctrina hodie communi circa sacramentorum reviviscentiam, atque asserunt omnes solutiones quas hucusque thomistae adhibuerunt pro utriusque doctrinae concordia, esse omnino insufficientes. Unde cum doctrina causalitatis physicae sacramentalis non sit nisi doctrina *particularis* scholae thomisticae, et doctrina de sacramentorum reviviscentia iam hodie evaserit doctrina *communis*, fidenter concludunt standum esse doctrinae de sacramentorum reviviscentia, atque reiiciendam doctrinam de eorum physica causalitate.

Audiat inter multos alios qui citari possent, clarissimus Pourrat :
« Le système de la causalité physique, qu'il soit interprété par Cajetan ou par Suarez, demeure déroutant pour l'esprit. *Mais ce qui est plus grave, c'est qu'il paraît être en opposition avec la doctrine théologique de la réviviscence des sacrements.* Au temps de Suarez, la réviviscence du baptême était admise par tous à la suite de saint Augustin, et regardée comme certaine ; celle de plusieurs autres sacrements était considérée comme probable. Lorsqu'un sacrement est reçu d'une manière *'fictive'*, c'est-à-dire avec des mauvaises dispositions, il ne

produit pas la grâce. Il la produira dans la suite, lorsque le sujet se convertissant ôtera de son âme l'obstacle à la grâce. Or, la théorie de la causalité physique est radicalement impuissante à expliquer ce fait, car la causalité physique exige rigoureusement la coexistence de la cause et de l'effet, et, dans la réviviscence, le sacrement opère la grâce, lorsqu'il n'existe plus depuis longtemps. Vazquez expose triomphalement cette difficulté dans sa vigoureuse critique du système thomiste. Au fait, personne ne pouvait la résoudre. Les anciens scolastiques s'en tiraient en niant la réviviscence, c'était une défaite. D'autres, encore à l'époque de Suarez, ne l'admettaient que pour les sacrements qui impriment un caractère, celui-ci remplirait le rôle de cause physique dans la réviviscence. Mais de quel droit restreindre la réviviscence à quelques sacrements ? Les plus raisonnables « avouaient ingénument », dit Vazquez, que, dans les cas de réviviscence, les Sacrements n'agissent pas comme des causes physiques, mais que c'est Dieu qui, en considération du sacrement administré, répand lui-même la grâce dans l'âme. C'était avouer aussi le déficit du système, en faire toucher du doigt le point irrémédiablement faible. »¹

Citemus etiam hodiernum theologum Van Noort : « *Nulla modo intelligitur, quomodo causalitas physica sustineri possit . . . in casibus reviviscentiae, ubi gratia datur, quando signum sacramentale iam diu et totaliter praeteriit, physice non amplius existit. Responsa theologorum videre est, v. g. apud Billuart, Reinhold, Gutberlet ; sed cum insufficientia videantur ad difficultates solvendas, ea non refero.* »²

Simili modo loquuntur alii theologi quamplurimi. Ut ergo ostendamus non esse impossibilem, imo nec difficilem, concordiam inter reviviscentiam sacramentorum et eorum causalitatem physicam, duo faciemus : Primo, examinabimus duas solutiones quas communiter adhibent thomistae. Secundo, afferemus novam solutionem, ex ipsis principiis doctrinae thomisticae desumptam, et quae, nostro iudicio, melius et plene solvit quaestionem. Sed, ante omnia, quaedam breviter praenotanda sunt circa statum quaestionis de reviviscentia sacramentorum inter theologos recentiores.

Doctrina hodierna circa reviviscentiam. — Notum est in quo consistat reviviscentia sacramentorum, in eo scilicet quod sacramentum

¹ *Pourrat*, La théologie sacramentaire, 4^{me} édition (Gabalda, Paris 1910), pag. 172-173.

² *Van Noort*, De sacramentis, fasciculus prior (Amstelodami, 1910) n° 56, pag. 48.

valide susceptum, sed cum obice, non producat gratiam in eius receptione, sed postea, quando obex tollitur.

Ad sciendum autem quae sacramenta reviviscant, optimum est dividere sacramenta in tres classes: *a)* sacramenta quae imprimunt characterem et quae proinde nunquam iterari possunt, sicut baptismus, confirmatio et ordo; *b)* sacramenta quae, quamvis non imprimant characterem, non tamen possunt iterari durante certo tempore, ut extrema unctio durante eodem periculo mortis et matrimonium durante vita coniugis; *c)* sacramenta quae non imprimunt characterem et possunt quolibet tempore iterari, ut poenitentia et eucharistia.

Circa primam classem, scilicet baptismum, confirmationem et ordinem, opinio hodie *communis* est quod possunt reviviscere, et quod eorum potentia reviviscendi est perpetua.

Circa secundam classem, scilicet extremam unctionem et matrimonium, opinio hodie *vere communis* affirmat quod possunt etiam reviviscere, sed quod eorum potentia reviviscendi non perdurat nisi pro tempore quo iterari non possunt; scilicet durante eodem periculo mortis pro extrema unctione, et durante vita coniugis pro matrimonio.

Circa tertiam tandem classem, scilicet poenitentiam et eucharistiam, opinio *communior* tenet quod non reviviscunt. De poenitentia enim non solum non constat quod reviviscat, sed nec quod possit esse simul valida et informis.¹ De eucharistia autem non solum non constat quod reviviscat, sed etiam opinio asserens eius reviviscentiam reputatur a S. Alphonso Liguori ut *absurda*.²

¹ « Utrum possit esse confessio informis et valida? Partem affirmativam videtur asserere auctor (scilicet, D. Thomas) hic, q. 9 art. 1, et eam tenent antiquiores thomistae: quia tamen infra, q. 29 art. 8, videtur hanc sententiam retractare, *partem negativam tenent hodie plures thomistae et extranei communiter*. Unde dico: Non videtur posse dari sacramentum poenitentiae informe et validum » (*Billuart*, De sacramento poenitentiae, diss. 7 art. 1).

² « Recte autem Lugo, Croix cum Suarez, Coninck, Filliuccio etc. *communiter*, contra alios, negant hoc (scilicet reviviscentiam) de *eucharistia* E converso in hoc sacramento sequeretur *absurdum*, quod sacerdos qui pluries, in sua vita sacrilege celebrasset, si in morte cum remissa attritione confiteretur, reciperet totum cumulum gratiarum tot sacrilegarum communionum; *immo*, quo saepius indigne celebrasset, eo uberius gratiis ditaretur », (S. Liguori, *Theol. Mor.*, lib. VI, n^o 87). « De eucharistia negat (reviviscentiam) Divus Thomas: tum quia non imprimat characterem, et potest iterari toties quoties; tum quia alias sequeretur quod qui toto vitae tempore innumeras communionem indignas fecisset, fieret in fine vitae sanctissimus, si vere poeniteret, quod est *absurdum* » (*Billuart*, De baptismo, diss. 4, art. 2, in fine).

Hoc non obstat quominus eucharistia, quamdiu species sacramentales remanent in stomacho, possit causare gratiam, si removeatur obex. Cum enim

Possumus itaque doctrinam hodiernam circa reviviscentiam sacramentorum resumere per sequentia verba sapientissimi P. Prümmer : « *Quinque sacramenta, si sint informia, reviviscunt, nempe baptismus, confirmatio, extrema unctio, ordo, matrimonium ; duo autem sacramenta informia non reviviscunt, scilicet eucharistia et poenitentia.* » ¹

In quo sita sit difficultas. — Quando agitur de concordanda reviviscentia sacramentorum cum eorum causalitate physica, nulla extat difficultas respectu baptismi, confirmationis et ordinis. Haec enim sacramenta, quotiescumque valida sunt, etiamsi sunt informia propter obicem, imprimunt characterem. Character autem est aliquid reale et physicum. Potest ergo hic character assumi a Deo tamquam instrumentum physicum productionis gratiae seu reviviscentiae. Haec solutio iam adhibita est ab ipso D. Thoma pro explicanda reviviscentia baptismi, et eadem omnino est ratio pro confirmatione et ordine. Unde respectu horum trium sacramentorum vix adversarii thomistarum in obiiciendo aut thomistae in respondendo insistunt. ²

sacramentum adhuc permaneat, non indiget aliqua reviviscentia ad causandam gratiam. Si enim species evomerentur et sumerentur ab altero, certum est quod possent causare gratiam sine ulla omnino reviviscentia.

¹ Manuale theologiae moralis, tom. III, n° 42.

² « Ad tertiam quaestionem dicendum, quod in baptismo imprimitur *character*, qui est immediata causa *disponens* ad gratiam ; et ideo, cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quae effectum characteris impediabat, character, qui est praesens in anima, incipit habere effectum suum : et ita baptismus, recedente fictione, effectum suum consequitur » (D. Thomas, IV Sent. dist. 4 q. 2 a. 2 quaestiuncula 3). « Quando aliquis baptizatur, accipit *characterem* quasi *formam*, et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod, remota ea per poenitentiam, baptismus consequatur suum effectum » (Sum. theol. III, q. 69 a. 10).

Fortasse non erit abs re notare quod, ex eo quod D. Thomas comparat characterem respectu gratiae cum dispositione respectu formae et cum ipsa forma respectu effectus, non debet aliquis imaginari quod character baptismalis sit ex natura sua aliquid *activum* respectu gratiae. Character enim baptismalis non est nisi potentia *passiva*, et ordinatur non ad causandam gratiam, sed ad recipienda valide alia sacramenta. Illae ergo comparationes D. Thomae, ut opportune observat Cajetanus, non sunt nisi analogiae exemplificativae, seu « accommodatio quaedam similitudinaria ad manuducendum intellectum novitiorum ut percipiant quomodo baptismus, recedente fictione, incipit valere ad salutem » (Cajetanus in III q. 69 a. 10). Sicut enim, quando sacramenta ministrantur, ritus sacramentales causant physice gratiam, non per aliquam virtutem quam ex propria natura habeant, sed per virtutem transeuntem qua assumuntur ut instrumenta a Deo ; ita etiam, quando reviviscit baptismus, character baptismalis non agit in reviviscentia, nisi quia assumitur a Deo ut instrumentum actionis. Jam vero ad hoc quod aliquid possit assumi a Deo ut instrumentum physicum causationis gratiae vel cuiuslibet alterius effectus instrumentaliter causabilis, est omnino

Difficultas existit tantum respectu aliorum sacramentorum, quomodo scilicet possint causare *physice* gratiam in momento reviviscentiae. Talia enim sacramenta, cum valide sed informiter recipiuntur, neque gratiam causant, neque characterem. Videntur ergo nullum effectum physicum relinquere in recipiente. Quod autem non existit physice neque in seipso neque in aliquo effecto relicto, non potest physice agere. Ergo evidens videtur quod ea sacramenta, quando reviviscunt, non causant physice gratiam, sed tantum moraliter. Semel autem concesso quod sacramenta non agunt physice in eorum reviviscentia, ruere videtur vis probativa omnium textuum S. Scripturae et Sanctorum Patrum, quibus thomistae adstruere nituntur causalitatem physicam sacramentorum: tales enim textus aut habent vim probativam pro omnibus casibus aut pro nullo. Praeterquam quod absonum videtur admittere in sacramentis duplicem modum agendi specie distinctum: modum scilicet *physicum* in eorum fructuosa receptione, et modum agendi *moralem* quando, infructuose recepta, postea reviviscunt.

Haec est summa difficultatis, et quidem, juxta adversarios thomistarum, summa difficultas.

Prima solutio quorundam thomistarum. — Ad hanc obiectionem, quidam thomistae, ut Gonet et Billuart, respondent concedendo quod nihil potest physice agere, nisi physice existat in seipso vel in aliquo effecto suo; concedendo etiam quod ea sacramenta, de quibus est sermo, non existunt physice in seipsis neque in aliquo effecto, quando reviviscunt; concedendo proinde quod in reviviscentia non possunt agere physice, sed tantum moraliter.

Sed firmiter negant quod ex hoc ruat vis probativa textuum S. Scripturae et Sanctorum Patrum. S. Scriptura enim et Sancti Patres loquuntur de casu communi in receptione sacramentorum, quando scilicet digne recipiuntur; non de casu extraordinario et anomali, quando scilicet recipiuntur indigne.

Neque hoc est, reponunt hi thomistae, assignare duplicem modum *agendi* in sacramentis: sed unum tantum modum agendi, proportionaliter tamen ad modum *existendi*. Modus enim agendi sequitur ad

indifferens quod id quod assumitur ut instrumentum sit substantia vel accidens, activum vel passivum, magnum vel parvum, dummodo revera sit aliquid *physicum*, ut abs dubio est character baptismalis. Unde, ut iterum recte observat Cajetanus, « *vana videtur sollicitudo quaerentium quid aut quomodo operetur character, recedente fitione, ad gratiam baptismalem* » (Cajetanus, loc. cit.)

modum existendi. Sacramenta autem existunt physice in momento receptionis ; sed existunt tantum moraliter in momento reviviscentiae. Non est ergo absonum, sed plane logicum, asserere quod agunt physice quando digne recipiuntur, et quod agunt moraliter quando, indigne recepta, postea reviviscunt. ¹

Defectus huius primae solutionis. — Haec ergo prima solutio thomistarum est plane logica et cum principiis thomisticis omnino cohaerens. Habet tamen triplicem defectum.

Primo, quod videtur nimium cedere adversariis, concedendo illis quod sacramenta non agant physice in aliquo casu, scilicet in reviviscentia.

Secundo, quod videtur per hoc, apparenter saltem, enervare vim probativam textuum Scripturae et Traditionis qui sine ulla exceptione loquuntur de causalitate omnium sacramentorum.

Tertio, quod haec responsio, non modo non quietat adversarios, sed potius facit illos exultare atque triumphum canere quasi de reportata victoria.

Radix horum defectuum in eo est quod tam adversarii in obii-ciendo, quam thomistae in respondendo, supponunt quod sacramenta, de quibus agimus, nullum effectum physicum relinquunt in recipiente, unde possit postea actio physica sacramenti locum habere in reviviscentia. Haec suppositio, ut videbimus, negari debet. Unde alii thomistae, iam a saeculo decimo septimo, secundam responsionem addiderunt.

Secunda solutio quorundam aliorum thomistarum. — Haec secunda solutio consistit in affirmando quod omne sacramentum valide susceptum, etiam si non imprimat characterem, producit semper in

¹ « *Verior tamen ac probabilior est solutio et doctrina aliorum thomistarum, asserentium sacramenta quae non imprimunt characterem, recedente fictione, non causare gratiam physice, sed solum moraliter* » (Gonet, De sacramentis, disp. 3 a. 3, n^o 81, edit. Vives, tom VI, pag. 78).

« *Esto nullum sacramentum fecte susceptum conferret physice gratiam recedente fictione, ut probabilius est de sacramentis non imprimentibus characterem, nihil inde contra conclusionem nostram, quae intelligenda est de sacramentis, quando concurrunt omnes conditiones requisitae ad causalitatem physicam, quorum prima est realis existentia causae. Neque inde inferas cum Tournely, nullum eo in casu locum habere quotquot generatim ex Scripturis et Patribus pro physica sacramentorum efficientia' conguessimus. Quidni enim S. Scriptura et Patres loquuti sunt de sacramentis secundum quod usu communi recipiuntur et recipi debent, salvisque rerum naturis et conditionibus requisitis ?* » (Billuart, De sacramentis in communi, diss. 3, art. 2.)

subiecto aliquem effectum physicum, per quem postea sacramentum agit physice in momento reviviscentiae. Hic effectus physicus est quaedam determinatio seu modificatio relictæ a sacramento *in voluntate* illius qui se libere subiecit receptioni sacramenti. Omne enim sacramentum, dicunt hi thomistae, exigit ad sui validitatem in adultis *actum liberae voluntatis* quo homo se subiicit receptioni seu actioni sacramenti. Haec libera subiectio, seu hic actus subiectionis, modificatur ab ipso sacramento : et sicut actus voluntarius, quamvis transeat actualiter, remanet virtualiter in voluntate, ita remanet virtualiter modificatio a sacramento causata. Mediante ergo hac determinatione quae physica est et physice, quamvis virtualiter, remanet in voluntate, causatur physice gratia in momento reviviscentiae seu sublato obice.

Unde ab obiectionem quod sacramentum non existit physice in momento reviviscentiae, ac proinde non potest physice agere, hoc modo respondent : non existit physice *in seipso*, concedo ; non existit physice *in aliquo effectu seu vestigio physico*, relicto ab ipso sacramento *in voluntate* suscipientis, nego.

Haec solutio adhibetur ab eximio thomista Didaco Nuno, iam ab initio saeculi decimi septimi ; a Joanne a S. Thoma acceptatur ac, pro more, profundius ac fusius exponitur ; a Gonet et Billuart breviter insinuatur, sed ut minus probabilis quam alia prima solutio ; a thomistis posterioribus, qui eam solutioni primae praeferre videntur, libenter admittitur. ¹

Difficultates huius secundae solutionis. — Nostro quidem iudicio,

¹ « Secundo respondent alii, relinqui a sacramento determinationem *in voluntate* quae se illi subiecit (et), recedente fictione, vi talis determinationis sacramentalis, seu ex sacramento relictæ et modificatae, resultare effectum gratiae in sacramentis quae non imprimunt characterem » (Gonet, De sacramentis, loc. cit).

« Respondeo cum pluribus, sacramenta quae imprimunt characterem, fide suscepta, recedente fictione, causare physice gratiam ; quia remanent in characterem quem Deus elevat, ut, recedente fictione, producant gratiam. Id etiam *probabile* reputat Joannes a Sto. Thoma de aliis sacramentis, inquantum relinquunt *in voluntate* determinationem qua se subiecit sacramento : quae determinatio ut virtus sacramenti *physica* operatur, recedente fictione ; sicut ex amore finis manet *in voluntate* determinatio physica qua se determinat ad media » (Billuart, De sacramentis in communi, diss. 3, art. 2).

« Respondetur cum Joanne a S. Thoma, Billuart etc., remanere *in voluntate* quae se determinavit ad sacramentum suscipiendum, impressionem quandam seu *vestigia physica*, quibus potest Deus uti ad gratiam producendam » (Hugon, Tractatus dogmatici, tom. 4, pag. 83). Textus Joannis a S. Thoma et Didaci Nuno citabuntur infra.

haec secunda solutio, nisi modificetur, offert gravissimas difficultates. Sufficiat indicare, inter alias, tres sequentes :

Prima est quod, iuxta hanc solutionem, *omnia* omnino sacramenta, etiam sacramentum ipsum eucharistiae, possunt reviviscere. Jam vero hoc non tantum reputatur hodie a theologis ut parum probabile, sed etiam videtur ducere ad consequentias *absurdas*, ut iam supra vidimus ex S. Alphonso Liguorio et Billuart. ¹

Secunda difficultas est quod haec potestas reviviscendi non tantum esset communis omnibus sacramentis, sed etiam *perpetua*, quamdiu saltem non retractatur actus liber quo voluntas acceptavit sacramentum seu illi se subiecit. Unde posset sacramentum extremae unctionis reviviscere, quando iam infirmus plene convaluit, et sacramentum matrimonii quando iam coniux, altero coniuge mortuo, viduus est factus. Quod non tantum videtur esse contra sensum communem theologorum, sed nec satis apparet ad quid deservire possit gratia *sacramentalis* extremae unctionis pro sano, aut matrimonii pro viduato.

Tertia denique difficultas in eo consistit quod in hac secunda solutione thomistica duplex assignatur via omnino distincta pro reviviscentia. Quaedam enim sacramenta, ut illa quae imprimunt characterem, dicuntur reviviscere per determinationem relictam in ipso characterem, seu per viam *intellectus*, qui est subiectum characteris. Alia autem, quae characterem non imprimunt, dicuntur reviviscere per determinationem relictam in *voluntate*, seu per viam voluntatis. Jam vero, omnino arbitrarium videtur assignare duplicem viam specie distinctam pro explicanda proprietate communi et univoca qualis est reviviscentia.

Proponitur nova solutio. — Nisi nos vehementer animus fallit, potest alia inveniri solutio quae non solum vitat praedictas difficultates

¹ « Secunda sententia docet *omnia* prorsus sacramenta reviviscere sublato obice Ita Haine Hanc sententiam vocat S. Alphonsus *absurdam* » (*Prümmer*, Manuale theologiae Moralís, tom. 3, n° 42). Potuisset P. Prümmer addere quod non solum Haine, sed etiam Joannes a S. Thoma et omnes illi thomistae qui admittunt hanc secundam solutionem, de qua nunc loquimur, debent tenere et de facto tenent quod *omnia* sacramenta, etiam eucharistia, reviviscunt. Unde haec duplex solutio thomistica produxit respective in thomistis duplicem tendentiam oppositam circa reviscentiam sacramentorum. Qui primam solutionem tenent, habent tendentiam ad limitandum, quantum fieri possit, numerum sacramentorum quae reviviscunt, ut limitetur numerus casuum in quibus sacramenta non agant physice, sed moraliter. E contrario, qui sequuntur solutionem secundam, ipso facto coguntur extendere reviviscentiam ad omnia sacramenta, nullo omnino excepto.

seu inconvenientia, sed etiam spontanee fluit ex principiis D. Thomae circa naturam sacramentorum. Haec solutio fundatur in ea doctrina D. Thomae, satis communiter a theologis admissa, quod character baptismalis est *potentia passiva receptionis validae omnium aliorum sacramentorum*, seu potentia physica ex natura sua ordinata ad valide recipiendum caetera sacramenta.¹

Quicumque hanc doctrinam bene penetraverit, perveniet necessario ad hanc consequentiam : « Omne sacramentum valide receptum debet producere in sua propria potentia receptiva, seu in characterе baptismali, aliquam modificationem physicam, sive perpetuam, sive temporaneam, sive pure transeuntem. » *Si haec consequentia vera sit*, iam planum erit quod ea sacramenta quae producunt modificationem physicam perpetuam, poterunt perpetuo physice reviviscere ; illa autem quae producunt modificationem physicam temporaneam, poterunt physice reviviscere, sed tantum quamdiu durat ipsa modificatio ; illa denique quae modificationem nonnisi pure transeuntem seu momentaneam producant, non poterunt reviviscere.

Quod autem praedicta consequentia sit vera, hoc est, quod omne sacramentum valide susceptum debet producere aliquam modificationem realem et physicam in propria physica potentia passiva, seu in characterе baptismali, posset probari a priori ex ipsis principiis D. Thomae sequenti modo : Omnis potentia modificatur physice per proprium actum ; sicut autem actus proprius potentiae activae est *agere*, ita etiam actus proprius potentiae passivae est *recipere* ; unde sicut omnis potentia activa modificatur physice per *productionem* proprii actus, ita omnis potentia passiva modificatur physice per *receptionem* proprii actus ; atqui actus proprius potentiae passivae, quae dicitur character baptismalis, est *receptio sacramenti validi* : ergo per receptionem cuiuslibet sacramenti validi modificatur physice character baptismalis recipientis sacramentum.

Quia tamen hic modus probandi esset pro multis nimis abstractus et minime clarus, satius erit eandem consequentiam inductive probare examinando quodlibet sacramentum in particulari. Videbimus patenter quomodo baptismus producit potentiam physicam receptivam sacra-

¹ « Per Baptismum homo accipit *potestatem recipiendi alia Ecclesiae sacramenta*. Unde .. *character imprimitur per baptismum* » (D. Thomas, Sum. theol. III, q. 63 a. 6). « Unde respondetur, characterem baptismalem esse *potentiam passivam, non ad suscipiendum naturaliter, sed sacramentaliter omnia alia sacramenta et effectus eorum* » (Joannes a S. Thoma, Cursus Theol., De sacramentis, disp. 25, art. 2, n^o 130, edit. Vives, vol. IX, pag. 352).

mentoribus, seu ipsum characterem baptismalem ; quomodo confirmatio et ordo producunt in ipso characterē baptismali modificationem physicam perpetuam ; quomodo extrema unctio et matrimonium producunt in eodem characterē modificationem physicam temporaneam ; quomodo denique in eodem characterē non producunt poenitentia et eucharistia nisi modificationem instantaneam seu pure transeuntem.

Incipiamus examinando sacramentum baptismi. Antequam homo baptismum recipiat, *non potest* recipere valide alia sacramenta. Postquam vero iam baptismum recepit, *potest* alia sacramenta valide recipere. « Non posse » et « posse » sunt affirmationes reales et physicae, et supponunt modificationem realem et physicam operatam in subiecto. Haec modificatio consistit, ut omnes scimus, in characterē baptismali, qui est *potentia* realis et physica receptionis validae caeterorum sacramentorum. Quia haec modificatio est aliquid physicum, potest assumi a Deo tamquam instrumentum physicum reviviscentiae ; quia est perpetua, virtus reviviscentiae baptismi est etiam perpetua.

Veniamus ad sacramenta confirmationis et ordinis. Antequam homo *baptizatus* recipiat haec sacramenta, *potest* vere et realiter illa valide recipere. Postquam autem semel illa recepit, iam *non potest* amplius valide recipere illa. Transitus de posse ad non posse, seu de potentia valida ad potentiam perpetuo ligatam, fieri nequit nisi recipiendo aliquam modificationem physicam. Quia haec modificatio est physica, potest esse instrumentum physicum reviviscentiae ; quia est perpetua, virtus reviviscentiae in confirmatione et ordine, sicut in baptismo, est perpetua.

Videamus nunc sacramenta extremae unctionis et matrimonii. Antequam homo baptizatus recipiat haec sacramenta, potest valide illa recipere. Postquam autem illa recepit, iam *non potest* amplius valide recipere extremam unctionem durante eodem mortis periculo, nec matrimonium durante vita alterius coniugis. Transitus de posse ad *non posse*, seu de potentia soluta ad potentiam ligatam respectu ad rem physicam, qualis est receptio valida sacramentorum, supponit modificationem physicam factam in potentia receptiva sacramenti, seu in characterē baptismali. Quia haec modificatio est aliquid physicum, potest esse instrumentum physicum ad reviviscentiam ; quia non est perpetua, sed durante tempore determinato, virtus reviviscentiae non durat nisi per idem spatium temporis ; scilicet, virtus reviviscentiae extremae unctionis non remanet nisi durante eodem mortis periculo, nec virtus reviviscentiae matrimonii nisi durante vita coniugis.

Restant sacramenta eucharistiae et poenitentiae. Antequam christianus illa recipiat, *potest* valide illa recipere ; et etiam postquam illa recepit, **potest** adhuc illa de novo et statim recipere valide, toties quoties illi placuerit. Ergo potentia recipiendi vel nullam, vel pure transeuntem modificationem physicam accepit per haec sacramenta. Ideo non possunt physice reviviscere.

Sicut ergo in aliqua potentia receptiva, v. gr. in silice vel in marmore, potest fieri aliqua impressio physica *perpetua* per stilum ferreum, ut volebat Job sermones suos scribi ; vel aliqua impressio *temporanea*, sicut per attramentum ; vel aliqua impressio *pure transitoria*, sicut per halitum oris vel per liquidum omnino volatile, quod nullum vestigium relinquit ; vel etiam sicut quaedam percussiones relinquunt cicatricem perpetuam, quaedam temporalem, quaedam nullam : ita quaedam sacramenta, ut baptismus, confirmatio et ordo, producunt semper modificationem physicam perpetuam, et quia est perpetua, vocamus illam characterem ; quaedam alia, ut extrema unctio et matrimonium, inducunt etiam modificationem physicam, sed quae non perdurat nisi per tempus determinatum ; quaedam denique, ut eucharistia et poenitentia, non producunt nisi modificationem momentaneam, seu quae transit cum ipsa sacramenti receptione.

Quemadmodum igitur, *in ordine naturali*, datur duplex actio : *actio creativa* nempe, per quam Deus producit primum subiectum seu primam potentiam in qua recipi debent posteriores actiones, et *actio modificativa* per quam posteriores agentes non creant, sed tamen plus minusve modificant physice potentiam passivam primo creatam : ita etiam analogice, *in ordine sacramentali*, per baptismum, qui est quasi nova creatio supernaturalis, de novo et ex integro producit, et non tantum modificatur, ipse character baptismalis, qui est prima potentia receptiva omnium posteriorum actionum sacramentalium. Cum vero hic character baptismalis sit vera et propria et *physica* potentia, non ad *fructuose*, sed ad *valide* recipiendum omnia caetera sacramenta, naturale est quod per receptionem *validam*, etiam infructuosam, aliorum sacramentorum modificetur *physice* — per modificationem sive perpetuam, sive temporalem, sive transeuntem — ipse character baptismalis, sicut omnis potentia passiva modificatur physice per receptionem proprii actus.

Triplex confirmatio huius solutionis. — In confirmationem huius solutionis potest adduci triplex consideratio.

Prima est, quod in hac solutione non amplius locum habet ulla

ex illis tribus difficultatibus quas assignavimus in secunda solutione. Nam in hac nova solutione: a) non omnia sacramenta, sed tantum quinque, possunt reviviscere; b) etiam illa quae reviviscere possunt, non omnia habent vim perpetuam reviviscentiae, sed quaedam habent perpetuam, quaedam temporalem; c) unica et homogenea via reviviscendi assignatur pro omnibus sacramentis quae reviviscunt, scilicet via modificationis physicae relictæ *in caractere baptismali ab ipso sacramento* valide recepto.

Secunda est, quod in hac nova solutione assignatur, a priori et ex ipsa natura characteris baptismalis, ratio explicativa illius doctrinae quam hodierni moralistae satis communiter docent circa reviviscentiam sacramentorum. Theologi enim hodierni, ut iam vidimus ex citatione P. Prümmer, sine aliquo respectu ad causalitatem physicam aut moralem, nec ad modificationem vel non modificationem characteris, et ducti tantum a natura cuiuslibet sacramenti et ab impossibilitate percipiendi aliter eius effectum, perveniunt ad hanc conclusionem, quod scilicet non omnia sacramenta reviviscunt, sed tantum quinque; et quod ex his quinque non omnia perpetuo reviviscunt, sed quaedam perpetuo, quaedam per certum tempus. Jam vero in hac nostra nova solutione non solum pervenitur ad eandem conclusionem per aliam viam, sed etiam assignatur ratio a priori et ex ipsa natura sacramentorum, quare non omnia, sed quaedam tantum, reviviscant; et quare quaedam habeant vim reviviscendi perpetuam, quaedam vero temporalem.

Tertia confirmatio, quae gratissima erit omnibus thomistis, illis praesertim qui quasi perhorrescunt quidquid vel minimam speciem habeat innovationis, sumitur ex ipso Joanne a S. Thoma. Quamvis enim hic praeclarissimus et nunquam satis laudandus thomista sit propugnator illius secundae solutionis quam supra exposuimus, et in qua affirmatur quod ideo sacramenta possunt physice reviviscere, quia relinquunt modificationem physicam *in voluntate*; tamen postea addit, quod relinquunt hanc modificationem « potius *in intellectu* », per quod iam amplius accedit ad veram solutionem; ac tandem, in solutione alterius obiectionis, satis indicat quod haec modificatio physica relinquatur *in caractere baptismali*, in quo tandem coincidit cum ipsa solutione quam tamquam novam proposuimus. Tamen etiam in his textibus adhuc miscet cum caractere baptismali *actus* voluntatis et, quod gravius est, non pervenit ad videndum quod haec modificatio characteris baptismalis non est perpetua in omnibus sacra-

mentis, sed vel perpetua, vel temporanea, vel pure transiens, iuxta peculiarem naturam cuiuslibet sacramenti. Ne autem aliquis putet nos non recte interpretare mentem Joannis a S. Thoma, citemus eius verba :

« Diximus ergo, quod illa virtus relicta a sacramentis, est determinatio passiva subiecti, qua *voluntarie* se subiicit sacramento, et ab ipso modificatur, talisque susceptio (subiectio ?) physice manet, et ratione illius physice sacramentum potest causare obice sublato Illa autem virtus *videtur manere in voluntate*, qua (quae ?) se determinavit ad illam susceptionem : sicut enim virtualiter manet *affectus* illi sacramento, quod semel suscepit, ita et vicissim sacramentum modificat talem virtuales *affectum*, ut sit *affectus* sacramentalis habens applicatum sacramentum, *vel potius in intellectu*, quo per fidem *voluit* uti symbolo protestativo christianae religionis Ad primam confirmationem respondetur quod si ista determinatio corrumpitur, quatenus se habet ut dispositio vel habitus, non tamen corrumpitur, prout est *determinatio characteris*. Character enim indelebiter est determinatus ad sacramenta valide suscipienda, unde modificat actus quibus homo ad sacramenta se determinat, et *ex talibus actibus relinquitur* etiam actu vel virtute *modificatus character*, non per habitum sibi supperadditum, sed per modificationem, quia character non habet producere actus, sed modificare : *et ista modificatio est etiam perpetua.* » ¹

Huic solutioni praeiverat Didacus Nuno per sequentia verba : « Secundo respondetur, quod cum adultus iustificetur *propriis actibus*, *illi actus* determinant *intellectum* et *voluntatem* ipsius vere et realiter : *quae determinatio* manet et existit formaliter, tamquam realis modus *intellectus et voluntatis* ; iste igitur modus cum sit entitas realis, potest postea, recedente fictione, elevari a Deo ad causandam gratiam physice ; elevatur autem *inquantum est effectus et virtus sacramenti* : et sic existit sacramentum virtualiter per illam virtutem et physice causat gratiam ; quemadmodum volitio finis physice causat volitionem mediorum per hoc quod existit virtualiter, quamdiu est volitio mediorum, licet non existat formaliter eo quod iam est transactus. » ²

Quicumque praecedentes textus attente legerit, perspiciet quod conceptio horum insignium thomistarum, quam thomistae posteriores plus minusve sequuntur, circa reviviscentiam physicam sacramentorum,

¹ *Joannes a S. Thoma*, De sacramentis, disp. 24, a. 1, nn. 265, 266 et 272 ; édit. Vives, vol. IX, pag. 200-202.

² *Didacus Nuno*, Commentaria in III p. Divi Thomae, q. 52, a. 7, pag. 426, Vallisoleti, 1601.

integratur ex tribus elementis : a) *actus* voluntarii quibus homo libere se subiicit susceptioni sacramenti, et qui, modificati a sacramento, modificant characterem baptismalem et quatenus tales, perpetuo virtualiter manent ; b) *modificatio characteris* baptismalis per tales actus voluntatis a sacramento modificatos ; c) *perpetuitas* huius modificationis.

Si ex his tribus elementis reiiciamus, ut reiici debent ¹, primum et tertium, et si praeterea, in secundo elemento per « modificationem characteris » intelligamus non modificationem factam ab *actibus* suscipientis sacramentum, sed factam *ab ipso sacramento*, quae modificatio non est perpetua in omnibus sacramentis, sed perpetua in baptismo, confirmatione et ordine, temporalis in extrema unctione et matrimonio, et pure transiens in eucharistia et poenitentia : tunc possumus in veritate dicere quod solutio, quam vocavimus « novam », non est nisi modificatio et amplior explicatio solutionis Didaci Nuno, Joannis a S. Thoma et plurium aliorum thomistarum. Possumus etiam dicere, et hoc maioris momenti est, quod haec nova solutio non est nisi explicatio et evolutio illius principii D. Thomae et *omnium* thomistarum : « *Character baptismalis est potentia passiva receptionis validae caeterorum sacramentorum*, et potentia non tantum extrinseca, logica aut juridica, sed potentia intrinseca, realis et *physica*. » Omnis ergo *receptio valida* cuiuslibet sacramenti est actuatio *potentiae physicae*, ac proinde *physica actuatio*. ²

¹ Notum enim est quod *actus*, sive voluntatis sive intellectus, illius qui *recipit* sacramentum (si sacramentum poenitentiae, ex ratione particulari, excipiat) non sunt causa physica instrumentalis gratiae in ipsa sacramenti *receptione*, etiamsi agatur de receptione fructuosa. Incongruum ergo videtur, et certe est omnino superfluum, tales actus adhibere velut elementum pro applicanda causalitate physica in sacramenti *reviviscentia*. Inmixtio huius elementi, scilicet *actuum* recipientis sacramentum, pro explicanda *reviviscentia*, vera causa extitit cur Nuno et Joannes a S. Thoma coacti sint extendere *reviviscentiam* ad omnia omnino sacramenta, etiam ad eucharistiam, cum tales actus intervenire debeant in omnibus sacramentis ab adulto receptis. Vicissim, ne cogentur admittere hanc absurdam extensionem *reviviscentiae* ad omnia sacramenta, Gonet et Billuart coacti sunt parvifacere solutionem secundam adhibitam a Nuno et Joanne a S. Thoma, et eligere tamquam probabiliorem primam solutionem in qua negatur *reviviscentia physica* illorum sacramentorum quae non imprimunt characterem. Defectus ergo Didaci Nuno et Joannis a S. Thoma extitit in non satis advertendo quod modificatio physica characteris non fit ab *actibus* suscipientis sacramentum, sed ab *ipso sacramento*, et quod propterea haec modificatio sacramentalis non remanet *in voluntate*, sed in ipso *characterem baptismali*.

² Penitius investigare quae sit natura specifica huius modificationis physicae productae in subiecto a sacramentis validis, etiam si informia sint, non est huius

Conclusio articuli. — Finem ergo imponimus huic articulo, iam nimis protracto, per duo corollaria quae, nostro iudicio, evidenter deducuntur ex praedictis, scilicet :

a) Doctrina hodierna circa reviviscentiam sacramentorum nec minimum opponitur doctrinae traditionali thomisticae circa eorum causalitatem instrumentalem physicam gratiae.

b) Tantum abest ut doctrina hodierna de reviviscentia sacramentorum constituat veram difficultatem contra doctrinam thomisticam de eorum causalitate physica, quod, e contra, constituit novum argumentum in eius confirmationem. Si enim, ut vidimus, *numerus* sacramentorum qui reviviscere vel non reviviscere possunt, respondet exacte numero sacramentorum qui producunt vel non producunt in recipiente modificationem physicam characteris baptismalis ; si etiam, inter illa sacramenta quae reviviscere possunt, *perpetuitas* vel *temporalitas* reviviscentiae respondent exacte perpetuitati et temporalitati physicae modificationis : signum evidens est quod reviviscentia sacramentalis non tantum *fieri potest*, sed etiam *de facto fit* dependenter a modificatione physica causata a sacramento, hoc est, per viam *causalitatis physicae*.

loci. Sufficiat demonstrasse, ut nos fecisse putamus, quod haec modificatio, quaecumque natura eius sit, est aliquid reale et physicum, ut evidenter apparet, tamquam a signo, ex transitu reali subiecti a « non posse » ad « posse », ut in baptismo, vel a « posse » ad « non posse », ut in confirmatione, ordine, extrema unctione et matrimonio.

